



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.48. Bondocdari progressus bellici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

latiumque opus esset, in ipsius carcere largiter præberi iussit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1267.

§. XLVIII.

Bondocdari progressus bellici.

Palæstinæ status indies fiebat deterior. Bondocdarus 1 Junii anno 1266 positus ad urbem Ptolemaidem castris, octo dies ibi moratus in otio, obsessam deinde arcem Saphetam 24 ejusdem mensis in deditioem accepit. Sed vesperi Ducem (Emirum vocabant) misit dicturum incolis, ut se Mahometanæ religioni addicerent: alioquin omnes necatum iri. Duo Fratres Minores Jacobus Ponienfis ac Jeremias per totam noctem eos tanta efficacitate animabant, ut statuerent pro Christo mori. Itaque contra pactioem fidem plures sexcentis jugulabantur, cruoris rivo per montem decurrente. Octo tantum a recta fide desciverant. Duo Fratres Minores, ac Prior Templariorum spoliati cute, dein verberati, postremo capite plexi sunt eodem loco, quo cæteri. Papa per epistolas Christianorum illam regionem incolentium rem edoctus responso suo duodecima Augusti dato solatia eis animosque per spem celeris auxilii attulit. Siciliæ negotio, inquit, feliciter absoluto erecti ad fiduciam Galli terræ sanctæ suppetias ire properant. In

Sauut. p. 222

Siffrid. an. 1266.

ap. Rayn. 1266. n. 45.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

Germania Comites Juliacensis & Luxemburgicus, Episcopus Leodiensis atque complures Proceres sacrae Crucis militiam inierunt. Hæc commendatur Anglis, magnumque ex iis subsidium speratur. Quid non facient, postquam hos tristes nuncios, quos illis misimus, acceperint?

n. 43.

Tum Papa Richardum Cardinalem de S. Angelo suum in Sicilia Legatum per litteras interrogavit, quid hac in re agere cogitaret Rex Carolus, quippe qui proximus esset, atque Palæstinæ velocius quam quisquam alius orbis Princeps posset succurrere?

n. 42. 44.

Dabat 19 Octobris: & vigesimo quinto ejusdem mensis suo in Anglia Legato Ottobono præcepit, ut ejus populis ad arma eodem fine capienda stimulos admoveri curaret.

§. XLIX.

*Altera S. Ludovici expeditio
sacra.*

Goffr.
Bellot. c. 37.
Duchesne
p. 461. p. 383.

Præ cunctis Principibus S. Ludovicus rem serio aggrediebatur. Ante aliquot annos statuerat sub vitæ suæ finem ad Dei gloriam moliri magnum aliquid arduumque, ac terræ sanctæ iterum subvenire. Tum coepit familiæ sumptus, quantum poterat, minuere magna omnium